



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ROBENSIS*** IN AETHIPIA CONSTITUITUR

PRAEFECTURA APOSTOLICA ROBENSIS Ad expeditius et efficacius consulendum spirituali Christifidelium saluti itemque Evangelizationis operi in Districtu civili Aethiopiae patria lingua «Robe » nuncupato, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque faventi voto Venerabilis Fratris Georgii Panikulam, Archiepiscopi titulo Caudini et in eadem Natione Apostolici Nuntii, censuit Praefecturam Apostolicam ibidem esse condendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris totius gregis Dominici, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate sequentia decernimus. A Vicariatu Apostolico Mekiensi distrahimus memoratum Districtum civilem «Robe », ad ipsum Vicariatum hucusque pertinentem, ex eoque constituimus Praefecturam Apostolicam *Robensem*, quam sollicitis curis sodalium Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum committimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum memoratus Venerabilis Frater Georgius Panikulam; qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizationemittenda. Hanc denique Constitutionem nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Februarii, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri septimo.* Tharsicius card. Bertone

Secretarius Status

Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. CIV (2012), n. 5, pp. 400-401.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana